PARENTALIA DVO

I.

ORATIO DE D. AVGVSTI ELECTORIS INSIGNI PIETATE, & religione ſincera,

II.

CARMEN HEROICVM DE FORMVLA CHRISTIANÆ Concordiæ opere DIVI AVGVSTI diuiniſſimo,

Quorum illa in æde Paulina ſolenni conuentu habita II. Februarij Anno ſalutis reparatæ 1597.

Hoc verò Anno 1601. 11. Febr. recitatum,

LIPSIAE

à

M. Erharto Lauterbach Iaurano
Sileſ. Scholæ ad D. Thom. Conrectore, & Comm. Art. Collega,

LIPSIÆ, ANNO M. DCI.

Erhardus Lauterbach, von Jauer aus Schlesien,
war erst an der Thomas-Schulen zu Leipzig
Con-Rector, hernach Pastor an der Michaeler-
Kirchen zu Zeitz, darauf Theologiae D. und Su-
perintendens zu Naumburg, wie auch des
Stiffts Consistorii Assessor. Er schrieb Orationem
in laudem Mauritii et Christiani I.; Syllogen
Disputationum Theologicarum Synodalium:
De Quaestione: An imagines sint in Templis
retinendae? Miraculum Augustanae Confessi-
onis; Sacramentum Romano-Catholicum ver-
Sacramentorum; Syntagma de praecipuis Fidei
articulis; Tract: De Praedestinatione, und
verschiedene Predigten, u. starb 16. Ao. 1649.
im 80. Jahr. Gelehrten Lexicon pag: 1140.

ILLVSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO AVGVSTO Duci Saxoniæ, Landgrauio Turingiæ, Marchioni Miſniæ, Domino ſuo clementiſsimo.

ILLVSTRISSIME AC generoſiſſime Princeps AVGVSTE, Domine clementiſſime, quoties redit vndecimus Februarij dies, quo Diuus AVGVSTVS Elector, auus Tuus laudatiſſimus beatâ analyſi ex hac vita in cœleſtem patriam migrauit; toties Academia Lipſienſis, ceu pietas & iuſticia requirit, inclitam eiuſdem memoriam grato pectore ſolenniter repetit. Atq; vtinam tam religioſi, tam ſalutaris, tamq; generoſi principis atq; Herois laudibus ea quicquam addere valeret. Quis enim Diuo AVGVSTO ſincerior pietate? quis Lutheri amantior? quis iuſticiâ cele-

brior vnquam extitit? Nonne is idolomaniam Pontificiam ab his terris vniuerſis penitus profligare, Cinglianorum dogmata confundere, & Megalandri LVTHERI *doctrinam, id eſt, purum & incorruptum* DEI VERBVM *ad ſeram poſteritatem propagare ſumma pietate, zelo divino, & indefeſſo ſtudio contendit? Imò affirmare nō dubito; ſi* AVGVSTVS ELECTOR *præter chriſtianæ Concordiæ Opus planè diuinum in religionis negocio nihil conſtituiſſet; perenne tamen decus, & ſempiternam incliti nominis laudem, atq; gloriam immortalem ſibi conciliaſſet. Quare cùm Magiſtratus Academici iuſſu & Autoritate tribus Electoribus Saxoniæ parentandi prouincia mihi imponeretur, nolui de Diuo* AVGVSTO *aliud commemorare, quàm eius inſignem pietatem, conſtantiam, labores & curas in conſtituenda chriſtianæ Concordiæ Formula, & ſimilia deuoti pectoris documenta.*

Quam opellam dum à reliquis ſeparatam ad petitionem & voluntatem piorum doctorumq́ hominum hoc tempore in lucem profero, ad tuam Celſitudinem, AVGVSTE Princeps ac Domine clementiſſime, confugio: In cuius patrocinio ſi mihi requieſcere concedetur, nullius odia atq; murmura, quæ veritatis profeſſione in me deriuo, pertimeſcam. Cui enim hanc conſecrarem potius, quàm tibi PRINCEPS AVGVSTE, qui non modò Illuſtriſſimi nominis & ampliſſimarum fortunarum, verùm etiam ſinceræ pietatis atq; Virtutis auitæ auguſtiſſimi Herois AVGVSTI, hæres es & ſtudioſus adoleſcentiæ annis conſectator.

Accipe itaque quod Tuæ Celſitudini humili atq; ſubiecto animo offero, meq; tuo patrocinio atq; defenſioni commendatum eſſe patere. Ab immortali & miſericordi DEO patre Domini ac Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti veris gemitibus precor, vt Celſitudinem Tuam cum Illuſtriſſima pientiſſimaq; Ma-

tre, vidua Electorali, cum FRATRIBVS PRINCIPIBVS *generoſiſſimis, Dominis meis clementiſſimis paterna bonitate regat, tueatur, muniat, & ad maturam ſenectutem ſoſpitet: vt ſub veſtro præſidio atq; Tutela, florente pietate, Lutherana religione, Iuſticia, pace & tranquillitate publica Eccleſia Chriſti fimbrias longè lateq́; dilatare queat. Vale quàm proſperrimè* AVGVSTE *Princeps ac Domine clementiſſime. Lipſiæ in Collegio nouo Dominica Lætare Anno Ieſu Chriſti è virgine nati* 1601.

Tuam Celſitudinem

ſubiectiſſimo ſtudio colens

M. Erhartus Lauterbach.

1.

ORATIO DE DIVI AVGVSTI ELECTORIS &c. INSIGNI PIETATE, & religione ſincera, habita Lipſiæ 11. Februarij Anno 1597.

HOdiernus dies, Magnifice Domine Rector, generoſi & illuſtres Barones, viri Reuerendi, Ampliſſimi, clariſſimi, ſpectabiles, ſapientia, virtute, doctrina erudita præſtantiſſimi, & tu Nobilis ac ſtudioſæ iuuentutis cœtus ornatiſſime, reuocat nobis in memoriam luctuoſiſſimum non ſolum Academiæ noſtræ, ſed etiam toti Eccleſiæ, Romanoq; Imperio ex hac vita abitum & obitum Illuſtriſſimi generoſiſſimiq; Principis ac Domini, Domini AVGVSTI Saxonis, creandis Impp. Romanis Septemuiri, Domini Academiæ huius, dum in rebus eſſet humanis, clementiſſimi, patris patriæ, luminis & columinis Germaniæ, nutritoris Eccleſiæ, auctoris & conſeruatoris ſcholarum poſt Deum immortalem unici. Quam ſanè memoriam omni & pietate & iure religioſè perpetuamus, & ad omnem poſteritatem propagare contendimus, tum propter ipſum Auguſtiſ-

ſimum

ſimum Heroëm Auguſtum principem beatiſſimum; tum propter nos ciues, quos ille in his terris poſt ſe reliquit, Propter ipſum Auguſtum quidem; non quòd multum ornamenti Illuſtriſſimo nomini conciliare, aut cœleſti eius fælicitati quicquam addere poſſimus: ſed ut virtutes ipſius admirandæ, laudeſq; eximiæ publica panegyri & parentatione repetantur, eius merita in rempublicam Chriſtianam celebrentur, & nos immortali DEO pro tam ſalutari organo, tamq; fideli paſtore & parente populi gratias agamus, atq; vniuerſum ordinem politicum cum Illuſtriſſimo Magiſtratu, ſcholis & Eccleſijs, pijs precibus ac uotis DEO commendemus; Propter nos verò in hac vita adhuc ſuperſtites; ut tam ſingularis & incredibilis pietatis, tam incomparabilis virtutis commemoratione, quaſi quibuſdam facibus admotis ad amandum ſincerum DEI cultum, ad veram pietatem virtutemq; conſectandam inflammemur. Nullo enim alio fine Auguſti laudes hactenus toties decantatæ ſunt, quàm ut Deus per ſuos fideles celebretur, bonitas divina agnoſcatur, & ſuo quiſq; loco enitatur, ut Spartam ſuam ornet, piè & honeſtè vivat, decus ſui nominis in hac vita, & in altera æternam felicitatem conſequatur.

Quia verò hoc tempore ex iuſſu Magiſtratus ſcholaſtici parentatio ſolennis à me habenda eſt; inprimis ex eo lætor, quòd in hac inſolita mihi ex hoc loco ratione dicendi materia talis oblata eſt, in qua Oratio nemini deeſſe poteſt. Dicendum enim eſt de AVGVSTI magnanimi herois & Principis, ſingulari eximiaque pietate & virtute: ita ut huius Orationis exitum diffi-

cilius ſit, quàm principium inuenire; mihiq́; non tam copia, quàm modus in dicendo quærendus ſit. Quare non dicam de Natalibus & Parentibus illuſtriſſimis AVGVSTI. Quis enim ignorat laudes pientiſſimi illius Henrici parentis? quis Catharinæ generoſiſſimæ matris ex Megapolitano ſtemmate oriundæ? Quis eſt, quem lateat celeberrima fama Alberti fortiſſimi Principis, aui Paterni, qui DEXTERA IMPERII publico dici meruit elogio? Quis neſcit, quàm generoſus Princeps fuerit Achilleum illud Germanicæ virtutis Miraculum MAVRICIVS frater, de quo Magnanimo fortiſſimoq; Principe aliud erit dicendi tempus: Non dicam de adoleſcentia & diſciplina AVGVSTI; non de Electorali dignitate, regia poteſtate & magnificentia nihilo inferiore; Non de ſereniſſimis cum Hanna Daniæ Regis potentiſſimi filiâ nuptijs: non de ſecundo Matrimonio cum Agnete Hedwige Illuſtriſſimi Aſcaniæ Principis Ioachimi Erneſti filia contracto: Deniq; non dicam de omnibus bonis & theſauris, qui in Diuo AVGVSTO, tanquam in precioſiſſimo ſcrinio erant reconditi: Sed in amœniſſimo rerum ab AVGVSTO geſtarum horto circumreptans eos tantum decerpam floſculos, qui veræ in Deum pietatis, religionis, cultus, & in agnita veritate conſtantiæ admirandæ odorem ſpirabunt; cùm & hic locus præcipuus ſit in hiſtoria AVGVSTI, & à meo ſtudio minus alienus. Quæ omnia non tam propter ipſum Electorem, cuius laudibus mea tenuitas nihil poteſt addere, quàm propter nos dicentur, ut in tam illuſtri veræ pietatis & in Deum religionis ſpeculo nos contemplemur, ad huius

pientiſſimi Principis exemplum verbum Dei purum & incorruptum propagemus & cuſtodiamus, hoſtibus veritatis reſiſtamus, conſtantiam amemus, ac finem deniq; fidei noſtræ, ſalutem animæ, unà cum Diuo AVGVSTO conſequamur.

Quod dum facio; Magnifice Rector, generoſi Barones, viri omnium ordinum ac dignitatum lectiſſimi honoratiſſimiq;, & tu Nobilis ac literatæ iuuentutis cœtus circumfuſe, quæſo à vobis, eâ, qua debeo, ſubiectione, obſeruantia & humanitate, ut mihi huius horæ uſuram in auſcultando haud grauatim concedatis.

Atque ut ad gubernationem AVGVSTI mea ſe mox convertat Oratio, ad Electoralem dignitatem euectus eſt AVGVSTVS anno ſupra milleſimum quingenteſimum quinquageſimo tertio, menſe Auguſto; quo tempore è Daniæ regno florenti, à ſoceri Regis ſereniſſimi complexu ſuaviſſimo evocatus ad capeſſenda Reipublicæ gubernacula acceſſit. Cum enim triſte de inopinato Mauricij Fratris interitu nuncium accepiſſet, & harum terrarum gubernatio tanquam de manu chariſſimi fratris in manus ipſi traderetur, non indulſit ocio & voluptatibus, nec moleſtias & ſolicitudines, in quas ſe incidere poſſe facilè præſentiebat, fugit; ſed Eccleſiæ adflictæ & harum prouinciarum calamitoſis civibus ſuccurrendum putauit. Fretus itaq; diuino præſidio atque auxilio, onus gubernationis in ſuos humeros ſuſcepit, laudabiliter geſſit, cum ſummo Eccleſiæ & Reipublicæ emolumento per annos triginta tres continuauit. Quos exiſtimatis, Audito-

res, pium hunc Electorem labores exantlaſſe? quas moleſtias deuoraſſe? quot onera & odia ſubijſſe? quæ pericula ſuſtinuiſſe? quas ægritudines & ſolicitudines ob quorundam tam religioſorum quam civilium virorum improbitatem & perfidiam animo ſæpenumero percepiſſe. Non certè, ut vulgi fert opinio, eiuſmodi principes, ſi rerum atq; imperij ſui ſatagere cupiunt, in voluptatis regno ſedent, ſed maximis difficilimisq; curis & laboribus perpetuo confli&tantur.

Verum enimuerò cum gubernandi viam in ſeptemvirali dignitate AVGVSTVS iam ingreſſus eſſet; omni ſtudio & induſtria in eo elaborauit, ut pax & tranquillitas hiſce terris quaſi poſtliminij iure reſtitueretur, vniuerſus reipublicæ ſtatus maiorem in modum convulſus & labefactatus ad priſtinam, aut etiam firmiorẽ integritatem ſtabilitatemq; reduceretur, & omnia belli vulnera ſalute patriæ ſanarentur. Qua de re cogitanti in mentẽ venit pulcerrimæ conuenientię duorum Auguſtorũ, Romani illius quondam Imperatoris in Romanis hiſtorijs inſigni laude & fama nobilitati, & noſtri Electoris, quò illũ vera in Deum pietate magis ſuperauit, eò magis celebrati. Quemadmodum enim ille Octauius Auguſtus poſt multa bella tam civilia, quàm externa grauiter ſuſcepta, fortiter geſta, feliciſſimèq; confecta, omnes diſſenſiones animorumq; diſtractiones publicè privatimq;, omnes exterorum hoſtium iniurias & impetus retardauit, fregit, compeſcuit; ac toti Romano Imperio pacem & ocium diu multumq; exoptatum reſtituit: Ita pacificus Auguſtus noſter, quamprimum ex Dania in has

terras redijt, primo omnium de pace deliberandum ſtatuit; ſine pace & tranquillitate publica nihil unquam ſalutare, nihil fructuoſum ciuibus adminiſtrari arbitratus. Iccirco quicquid belli fortuna reliquum Reipublicæ fecerat, id omne ſaluum eſſe voluit; & cùm videret, pleroſq; eo tempore fato, neſcio quo, miſero Eccleſiæ funeſtoq́; Reipublicæ ad arma compelli; conſilia ad pacis, ac togæ ſocietatem, non ad belli atque armorum ſtrepitum retulit omnia. Qua ſapientia & virtute bellorum incendia reſtinxit; & quicquid priuatim gliſcere videbatur, id ſua autoritate, qua valebat plurimum, repreſſit, atq; ſic optatum ocium, pacem & tranquillitatem ſibi, ſuis ciuibus, & his terris vniuerſis comparauit. Quo ingenti beneficio non tantum res politicas feliciore ſucceſſu donauit; ſed etiam tam ſuam, quàm ciuium ſuorum ſalutem ſempiternam promouit. Nôrat ſapientiſſimus religioſiſſimusq́; Princeps, non poſſe homines de uera in Deum pietate, de articulis ſinceræ fidei, de cultu Deo religioſè præſtando, deniq; de officijs Magiſtratui & proximo exhibendis communicandisq́; rectè erudiri, niſi Eccleſijs & ſcholis neceſſarium ocium & tranquillitas concedatur, ut nimirum iuuentute in veris ac ſolidis, Pietatis, Artium & Linguarum fundamentis erudita atque informatâ, precioſiſſimus verbi divini theſaurus, vnà cum ingenuis artibus liberaliq́; diſciplina longè lateque propagetur. Nihil enim vnquam antiquius, nihil charius, nihil nobilius fuit D. Auguſto, quàm verbum Dei purum & illibatum: pro cuius non ſolùm conſeruatione, verùm etiam ad ferã

poſteri-

poſteritatem propagatione, nullos labores, nullas aduerſariorum criminationes ſubterfugit. Qua in re ueſtigijs non tantum pientiſſimorum in veteri Teſtamento Regum ac Principum; ſed etiam generoſiſſimorum Maiorum ſuorum laudatiſſimis tenaciter inſiſtere animum induxit. Quod ſi Dauidem, Ioſiam, Ioſaphatum & alios laude veræ pietatis & zeli in religione erga DEVM in ſacra pagina celebratos principes conſideres, & noſtri AVGVSTI zelum, labores, impenſas, vigilias in cuſtodiendo verbi cœleſtis depoſito cum ipſis conferas, non certè minorem apud omnes rectè & candidè iudicantes laudem obtinebit. Illi veteris fœderis Reges ſuperſtitionem, idolomaniam, & falſos Dei cultus delêrunt: Hic noſter Pontificios errores & ἐθελοθρησκείας humanas è regno ſuo quam longiſſimè profligauit. Illi fermento ſanæ doctrinæ aſperſo expurgato, puram putam doctrinam θεόπνευστον in Imperio ſuo propagârunt: Hic omnes rancidas nouorum ſapientum verbo annexas gloſſas eradicauit, & perfecto odio perſecutus eſt. Illi pietatis laude & lumine ſuis ſubditis totiq; Eccleſiæ prælucebant: Hic non minus ſinceræ & nequaquam ſimulatæ in Deum religionis, exercitiorum pietatis & conſtantiæ exemplar, imò miraculum præbuit vniuerſis. In qua admiranda pietate & amore Verbi, quotidie ſibi ob oculos poſuit laudatiſſima ſuorum Maiorum exempla, qui pro religione, pro patria, pro ſalute ſua & ſuorum ciuium graviſſima bella geſſerunt, nullas moleſtias declinârunt, nulla peruerſi mundi iudicia & ludibria veriti ſunt. Qui omnes cùm vobis notiſſimi ſint, ad

commemorandum mihi non ſunt neceſſarij. IANOS illos & FRIDERICHOS pios & conſtantes intelligo; horum in tuenda retinendaq; verbi ſinceritate conſtantiam quoties AVGVSTVS in mentem ſibi reuocauit (reuocauit autem ſæpius) toties & ſibi pro aris & focis quiduis perferendum, moriendumq; iudicauit: nec quicquam indignius Illuſtriſſimo Nomine ſuo, & inclita Domo Saxonicâ arbitratus eſt, quàm ſi Lutheranam profeſſionem, (quamuis ad paucos redactam, fontibus tamen Iſraëlis, doctrinæ Propheticæ & Apoſtolicæ probè fundatam, & in omnem æternitatem immotam permanſuram) omni conatu atque viribus non amplecteretur atq; defenderet; quam illuſtriſſimi Maiores ipſius non modò cum dignitatum, terrarum, omniumq; fortunarum ſuarum iactura infracto invictoq; animo confiteri, ſed etiam ſanguine ſuo conſtanter confirmare nequaquam dubitaſſent. Deum immortalem, quot ſoles in vita cœleſti videbimus, pios nimirum reges & principes! quàm ineffabile gaudium ſurget in animo beatiſſimorum principum Dauidis, Ioſiæ, Ioſaphati, IANorum, Friderichorum, Mauricij, Auguſti & aliorum, qui res vitæ huius cunctas ſolius VERBI cuſtodiæ poſtpoſuerunt! Quanta præmia largietur ipſis omnipotens ille Rex Regum & Dominus dominantium! quanto ſplendore coruſcabunt! quantos honores gerent! quot Triumphos agent! cum quanta fidentia ſtabunt aduerſus ea Eccleſiæ carcinomata, quæ ueram piorum hominum profeſſionem hoſtiliter perſecuta ſunt, aut nequiter contaminatam deprauârunt, ſuoque exemplo alios ad

deſperationis ſcopulos fideique naufragium adduxerunt!

Agite, Auditores, moti exemplo Diui Auguſti maximè commemorabili animos noſtros excitemus ad amandam veram pietatem, ad colendum ſincero corde Deum, ad fugiendos omnis generis errores, qui licet rationi noſtræ mirificè abblandiantur: reuera tamen in ipſos optimè quadrat illud vulgatum Græcorum Verbum, σαίνεις μὲν, ἀλλὰ λάθρα δάκνεις. Agite iterum atque iterum legamus VERBVM DEI; parum hoc: amemus atq; unicè colamus; parum & hoc: accurato ſtudio meditemur & cuſtodiamus; & hoc parum: In ſuccum & ſanguinem conuertamus.

Vt verò ſingularis AVGVSTI pietas & religio, quæ hactenus minus diſtinctè oſtenſa eſt, iunioribus ſaltem, harum rerum adhuc ignaris, innoteſcat magis, demonſtrabo eam non ſolùm ex religioſis ſermonibus ultro citroq; habitis, ex factis egregijs omnium ſeculorum memoriâ prædicandis: ſed etiam ex illuſtriſſima munificentia, ex propenſiſſimo in ſcholas & Eccleſias earumq; Profeſſores, Miniſtros & alumnos animo.

Etenim extant tam religioſæ tamq; laudabiles voces & ſcripturę principis noſtri, ut, ſi ſub ueteri fuiſſent editæ Pacto à pijs principibus, procul omni dubio DEI Spiritus ſanctarum ſcripturarum autor, eas ſacris monumentis inſeruiſſet, & omni poſteritati commendaſſet. Anno ſexageſimo AVGVSTVS, ſua manu ad quendam principē ſcripſit in hanc ſententiam: Ego per Dei gratiam in chriſtiana religione, quæ in Confeſſione Auguſtana continetur, beneficio parentū

meorum chariſſimorum altus & educatus ſum, quam etiam toto tempore, quo fui cum imperio incorruptam & integram in hanc uſq; horam doceri publicè iuſſi, & auxiliante Domino, in eadem permanebo, & publica confeſſione conteſtabor, Nec ullius alterius confeſſionis Auguſtanæ mihi conſcius ſum, quàm illius, quæ in Comitijs Auguſtanis Carolo V. Imperatori exhibita fuit à Iohanne Electore, à Landgrauio, à paucis quibuſdam alijs principibus, Comitibus & Ciuitatibus; quæq; paullò poſt VVitebergæ typis impreſſa eſt: ad cuius ſolius normam, vivente adhuc pio viro Doctore Luthero, ſub gubernatione Parentis mei, piæ memoriæ, viſitatio in his terris inſtituta, & â me non ita pridem repetita eſt. Neq; hoc præterire poſſum: Cùm falſarius quidem latinum Bibliorum exemplar ſuſpectum dolo malo in templum arcis inſinuaſſet, pientiſſimus AVGVSTVS zelo heroico, & ſumma cum indignatione, quam primùm ea de re certior factus eſſet, id removit, eiuſq; in locum venuſtum & elegans germanicorum Bibliorum Lutheri exemplar repoſuit inſcriptis his verbis: Mea confeſſio ab ineunte ætate ſacris Biblijs & Confeſſioni Auguſtanæ fuit conformis; in qua etiam per Dei gratiam & auxiliũ emoriar. Proinde poſtquam vidi in Arcis meæ templum Biblia Calviniſtica irrepſiſſe, quæ Magiſter N. ſuo auſu & arbitratu, me inſcio, intruſit, ilico id removi, ſubſtituta in eius locum verſione D. Martini Lutheri, & libro Chriſtianæ Concordiæ. Confido autem unicè, meos Theologos & Miniſtros verbi, ut fideles decet paſtores, & hoc tempore, & deinceps concordiſſimè

veram doctrinam populo propoſituros, & ad poſteritatem propagaturos eſſe, quàm chara ipſis animarum ſuarum ſalus eſt. Scripſit hoc anno octogeſimo primo menſis Martij die duodecimo. Non enim ignarus ſacrarum literarum fuit AVGVSTVS, nec ad Theologorum duntaxat voluntatem pronunciauit: ſed crebris vſurpare ſolitus eſt ſermonibus controuerſias de perſona Chriſti, & ſacra Domini cœna; qua de re in vtramq; partem eruditè diſſerere, & ex Verbo nervoſè concludere potuit. Ex eiuſmodi ſermonibus vnicum tantum breuitatis aucupio, recenſeo, ſexcentis alijs ſilentio compreſſis: Spero pijs & Lutheranis auribus hanc recitationem non fore ingratam: Quidam magni nominis Princeps cum AVGVSTO de præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in vero Sacramenti vſu conferebat, cui AVGVSTVS Heros inter alia ita reſpondit: Heus frater, ſi CHRISTVS Dominus meus hoc verbum poſuiſſet, Ecce AVGVSTE, in hoc ſtipite, in hoc ſaxo vel ligno habes meum corpus & ſanguinem, omnino crederem adeſſe, nec vllam rationem à mea me fide auocare paterer. Imò, ſi CHRISTVS Dominus meus ea pręcepiſſet, quæ multò minus quàm hoc fieri poſſe viderentur, ego nihilominus crederem verbo CHRISTI, ſiue id rationi meæ probaretur, ſiue minus. Ipſe eſt OMNIPOTENS, ipſe eſt VERAX: ideo non habeo, quod ipſi obloquar: neque hîc quæſtio eſt, quò modo fiat? ſed de eo tantum, An hoc VERBVM & MANDATVM CHRISTI ſit? Huius Verba ſi ſunt, vti ſunt, ; ego taceo: ipſe faciet, ipſe, quod dixit, reipſa præſtabit. Hæc eſt Oratio

Chriſtiano & tam religioſo Principe digna. Arrige aures Caluiniſta quiſquis es, & diſce à tam potenti & à DEI Spiritu illuſtrato Principe, quid ſit VERBO CHRISTI ſimpliciter credere, quid ſit rationē VERBI obſequio & poteſtati fidei ſucijcere. Num exiſtimas, rationem in hoc tanto myſterio Duci AVGVSTO minus obſtitiſſe & reclamaſſe, quàm tibi? Minimè verò. Fuit & is homo; ſenſit in mente ſua caliginem, ignorantiam, dubitationes, cum plebeijs ipſi communes hominibus; quæ tamen omnia fide ſimplici & obedientia Verbo præſtita ſuperauit, in ea conſtanter perſeuerauit; finem deniq; fidei beatitudinem ſempiternam impetrauit. Hoc eſt præcipuum, maximeq; commemorandum atque imitandum in hiſtoria Auguſti: Si quis in hoc æmulando laborauerit, optimam is partem eliget, ac tandem in auguſtiſſimo Gloriæ Chriſti Regno cum AVGVSTO Electisque omnibus ineffabili gaudio perfruetur. Laudent alij Conſtantinum Magnum, qui bellum graue & periculoſum cum Licinio geſſit pro ſalute Eccleſiæ, & ſacrum Bibliorum codicem ſuis ſumtibus aliquoties deſcribi, paſſimque in templis cuſtodiri mandauit. Laudent Theodoſium, qui manu propria Teſtamentum Nouum deſcripſit, & quoties à ſomno ſurrexit ſtatutam precibus ad DEVM fundendis horam vendicauit. Laudent Alphonſum Regem Neapolitanum, qui quaterdecies ſacra Biblia evolvit. Nos Auguſtum noſtrum prædicabimus, qui ſtudio indefeſſo VERBVM DEI non tantùm legit & audiuit: ſed etiam tantis ſumtibus, quantis vix principum alius, ad nos propa-

gauit.

gauit. Non illum libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem, non magnificentia & ſplendor ad luxum auocare potuit; ſed potiorem curam in cognoſcendo, & longè lateque diſſeminando puro Verbi ſemine fixit & locauit. Sacramento corporis & ſanguinis CHRISTI ſæpe ſumma cum reuerentia & animi humilitate vſus eſt: & quo minus viæ ſibi reliquum videbat, eò ſæpius de viatico animæ parando erat ſolicitus. Hinc tanto ardore, tantaque cupiditate in ſacro ſtudio etiam in ſenecta proficiendi impulſus, menſtruo ſpacio (quod miraculi inſtar eſt) totum Bibliorum codicem, intra triginta verò ſeptimanas omnes Beati LVTHERI tomos Lectori auſcultando abſoluit; cui operæ hora matutina quinta ſtatim ſe dedit, & ad lucernam vſque protraxit. Quid poſſet præclarius, quid religioſius de AVGVSTO ELECTORE dici? Non tamen minora ſunt, quæ paullò pòſt dicentur. Ergo AVGVSTI famam & gloriam nulla vnquam obſcuratura eſt obliuio, ſed memoriâ ſeculorum omnium vigebit.

Vt verò etiam animus AVGVSTI heroicus & veritatis amantiſſimus contra Numam Romanum conſpiciatur illuſtrius, non poſſum ſilentio præterire celebrem illum conuentum Numburgi in Turingia indictum & habitum. Etenim cum Pontificij Auguſtæ & paſſim alibi conquererentur, Lutheranos ſchiſmaticos nullum amplius habere incorruptum exemplar confeſſionis ſuæ anno trigeſimo Carolo Cæſari in manus traditæ, ſed pro lubitu eã mutaſſe,

& hæreſin ex hæreſi nectere; nec quicquam minus facere, quàm vt ad formulam pacis precibus & ſolicitationibus MAVRICII & AVGVSTI Electorum ab Imperatore impetratam, ſeſe componant; moti clamoribus & quiritationibus iſtis principes Auguſtanæ confeſsionis Numburgicam Synodum celebrârunt. In hoc laudatiſsimorum Principum conſeſſu cum deliberationes ſalutares de Eccleſiæ & Reipublicæ incolumitate fierent, aduolunt duo hoſpites à ſede Romana non inuitati, Zacharias Delphinus Epiſcopus Pharenſis in Dalmatiâ, & Franciſcus Commardonus Epiſcopus Zacynthius, vterq; Venetus, qui de voluntate Pontificis Maximi in Germaniam & præſentes Principes propenſa prolixè differendo, ipſos Principes, aut ipſorum legatos Theologos ad concilium Tridentinum iterum euocabant tradentes literas à Pontifice, Auguſto & cæteris Principibus, dilectis filijs, inſcriptas. Has quamprimum D. AVGVSTVS aſpexit, & ſe filium à Pontifice Romano in ipſa inſcriptione appellari animaduertit, iratus literas abiecit, non, inquiens, filius Pontificis Romani audire volo. Quod laudabile exemplum cæteri imitantes literas non reſignatas Pontifici remiſerunt: vt nimirum intelligeret Purpuratæ Meretricis procus, ſibi non inter generoſiſsimos Germaniæ Principes, ſed in Italiæ ſuæ libidinoſæ ganeis & proſtibulis filios quærendos eſſe. O ſimulatam Romanæ laruæ beneuolentiam, O admirabilem AVGVSTI candorem & zelum. Vtinam, vtinam, Auditores, nos omnes ita ex animo deteſtaremur Papæ & Caluini ſomnia: Vtinam in nobis eſſet talis candor,

pacis & concordiæ ſtudium, pietas, fides, conſtantia qualis omnino eſſe debebat; vtinam non quouis doctrinarum vento moueremur, aut levi aliqua tentatiuncula & perſecutiuncula ingruente, quaſi cœlum ruiturum ſit, animos deſponderemus, quàm beati eſſemus homines, quàm præclarè nobiſcum ageretur? quanto terrori & formidini noſtris eſſemus hoſtibus? quæ ſcandala pręcaueremus? quot errantes homines in veritatis viam noſtro exemplo reduceremus?

At verò quamuis Diuus AVGVSTVS doctrinam Cinglianorum & Caluinianorum ſummo ſemper ſtudio fugeret, & odio magno perſequeretur: attamen illiįpſi, quibus præcipuam religionis curam, illiįpſi, qui viſitationibus non ſolùm intererant, ſed etiam præfecti erant; illiįpſi quibus ſuam vitam, ſalutem, regionem committebat; illiįpſi quæ ſtabiliendæ concordiæ & repurgandæ doctrinę cauſa ad colloquia conuocabantur fraudulenter agendo, Eccleſias harum terrarum vnà cum Diuo Principe apud exteros ſuſpectas reddiderunt. Cuius rei documenta euidentia fuerunt Catechesis VVitebergica, ſtereoma, diſputatio grammatica, Exegeſis, & id genus alia ſcripta pernicioſa. Sed nolo iam plura commemorare de perfidia eorum, quibus optimus princeps pleraq; bonâ fide credebat, & quaſi in ſinum reponebat; quàm malitioſè egerint, quàm miſerè Dominum circumuenerint, nolo, rurſus inquio, vulnus refricare, & vnguem in vlcere tenere diutius. Hoc tamen dico, multos cordatos homines ea tempeſtate in hac fuiſſe ſententia; infantes vnà cum lacte materno ſuccum Caluiniſticum

hauſturos fuiſſe, niſi clementiſſimus pater cœleſtis, noſtri adhuc miſertus, Diuum Auguſtum tam heroico zelo, tanta autoritate & ſeueritate contra perfidos & malitioſos homines armaſſet. Quare cum Auguſti animus ab omni falſæ doctrinæ fermento alienus ſemper eſſet, nec vlli, niſi Auguſtanæ confeſſioni immutatæ & Lutheri monumentis conſtanter adhæreſceret; iccirco vehementer laborauit, vt tandem aliquando fraudulentos deprehenderet, ſuamq; autoritatem, fidem & conſtantiam apud omnes declaratam vindicaret. Torgæ enim demum, ſingulari DEI voluntate, multi deprehenſi ſunt doctrinæ Caluini ex aſſe addicti: quos tamen moderatiſſimus princeps nondum planè reiecit, ſed bona ſpe emendationis & mutationis opinionum diuerſis in locis captiuos detineri iuſſit. Qua ſpe cùm tandem penitus excideret, pleriſque ſuas opiniones mordicus defenſitantibus (vt ſolent eiuſmodi homines citius patriam prodere, quàm falſam opinionem deſerere) maluit religionis Lutheranæ hoſtes è regionibus ſuis procul eijcere, quam non ſine magnis ſumtibus fruſtra fouere diutius.

Quid porrò dicam de ſummo Auguſti ſtudio in conſeruando propagandoq; verbi cœleſtis theſauro, deprehenſo ex laboribus & moleſtijs deuoratis, ex ſumtibus erogatis in Chriſtianæ concordiæ Formulam conſtituendam. Etenim cum nullum finem controuerſiarum, nullum modum artium Sinoniarum tam in his, quàm in alijs regionibus proſpiceret ſapientiſſimus IOSIAS noſter; hoc ſibi reſtare agendum, in hoc deniq; elaborandum cenſebat, vt inter omnes

Euangelicos Principes, ciuitates & Theologos confeſſioni Auguſtanę ſinceræ (mutata enim non eſt Auguſtana, ſed VVitebergica) addictos firma & conſtans iniretur concordia. Per ſinceros itaq; & orthodoxos viros ad hanc rem maturo conſilio delectos Auguſtanam confeſſionem dilucidius explicauit, articulos controuerſos non niſi ex VERBO DEI, quod ſolum eſt Veritatis & Iudicij norma, decidit, nihil aliud hoc neceſſario opere, quàm ſalutem ſuam, ſuorum ciuium, totius deniq; Eccleſiæ promoturus. Ac licet petulantia quædam & improba ingenia, pro ſua libidine hoc diuinum opus calumnijs & conuicijs exceperint: apud eos tamen qui eo gratis animis recepto & approbato fructuoſè vtũtur AVGVSTVS ſempiternam laudem conſecutus eſt. Cæteri, qui ſiniſtrè de Hènotico noſtro & ſentiunt, & ſcribunt, & loquuntur, ſatis arguunt, cuius Spiritus ſint filij, & ſectatores, non ſpiritus lucis, tranquillitatis & concordiæ, ſed tenebrarum, confuſionis & diſcordiæ. Qui homines ſi vel cum mica pietatis ſcriptum iſtud evolverent, præconceptis opinionibus paululum ſepoſitis, ſi Diui AVGVSTI animum vero pietatis zelo flagrantem penitus introſpicerent, ſi deniq; efficaciam huius doctrinæ expoſcerent & ſitirent; non ita præpoſterè & peruerſe iudicarent, non ita ad calumniandum proni eſſent, non ita beatos Diui AVGVSTI cineres maneſque, vt cum Poëta dicam, revellerent. Iraſci mihi profectò ob id

li animo amplectimur, intrepidè confitemur diuini Spiritus ope conſtanter confitebimur, hoc AVGVSTI opus, tanquam munus è cœlo lapſum grato pectore acceptamus,& ingentes labores atq; ſumtus huic operi impenſos ſuſpicimus & prædicamus. Sed plura de Henotico alibi.

De pia AVGVSTI beneficentia quædam addenda ſunt. Quod enim nonnulli Principes in bella non neceſſaria, in pompas ſumtuoſas & magnificas, in ludos & ſpectacula, in ſubſtructiones inſanas, in omnis generis voluptates & delicias, vel ad ſtabiliendum regnum Meretricis Babylonicæ,vel inſtillandum animis ſimpliciorum virus Berengaricum inſumunt; id AVGVSTVS ad conſeruationem ſcholarum, & propagationem doctrinæ incorruptæ ſumma voluntate & ſtudio largitus eſt: vt, qui hunc Ducem non ad conſeruandam tuendamq; veram religionem, pacem & Iuſticiam diuino quodam conſilio natum dicat, is amens & iniquus rerum æſtimator habendus ſit.

Auguſti Secundi Romanorum Imperatoris intempeſtiua liberalitas priſcorum literis celebrata eſt. Is, militi noctuam, quæ ſomnum turbârat, capienti mille nummûm dari iuſſit. Idem, cum Victor ex bello Romam rediret, à coruo, qui hæc verba garrire didicerat, Aue Cæſar Victor, acclamatus & ſalutatus, ſtatim ſex mille coronatis auem emit. Nec Neronis inſana effuſio in ludos,in ſpectacula, in ſcurras, in mimos quenquam latet: ſed is, ne ſumtus vnquam deeſſent, iniquis Prouinciales & ſubditos ſuos onerabat & exhauriebat exactionibus. Inepta ſanè fuit illa Au-

gusti

guſti liberalitas: Si tamen ea eſt liberalitas dicenda, quæ modum deſerit: Hæc Neronis in malã rem abeat effuſio. Quantò ſapientius, quantò utilius regias ſuas facultates AVGVSTVS noſter collocauit? Sed quæ poterit Munificentiæ huius Principis par oratio inueniri? Non enim ſuos ſaltem aulicos miniſtros honorificè & liberaliter ditauit, verùm etiã ſcholis & Academijs & miniſterio ſuę munificentiæ fontes aperuit. Teſtes ſunt tres ludi illuſtres: teſtis vtraq; Academia: teſtes ſunt Profeſſores & alumni magno aucti numero: teſtes ſunt infiniti exules, quos ille ſuſcepit, fouit, & ſuſtentauit: Teſtes etiamnum ſunt munificentiæ Auguſteæ multi emeriti verbi Miniſtri, multę viduæ & pupilli; ad quos alendos iuuandoſque centum millia florenorum clementiſsimè legauit: Vnde quotannis quinq; florenorum millia redeunt. Quot putatis in nouiſsimo die AVGVSTVM in conſpectu Filij Dei & beatorum voces & gratulationes auditurum, voces, inquam, miſerorum quondam Verbi Miniſtrorum, viduarum & orphanorũ ipſius Munificentia ſubleuatorum? Quanto cum gaudio acclamabunt extremum iudicem! O Chriſte Redemtor & Saluator vnice, in vita terrena, quæ perpetua erat afflictio & miſeria, Eſuriuimus, & Auguſtus hic dedit nobis eſcam: Nudi eramus, Auguſtus dedit nobis tunicas: Pupilli eramus, Auguſtus erat pater noſter: Exules, captiui, ægroti eramus, Auguſtus nos ſuſcepit, interceſsione liberauit, ipſe viſitauit. Quanto in gaudio tunc exultabis ô AVGVSTE...

tabimur. Neq; verò ipſe tantum erga indigentes beneficentiam exercuit: ſed etiam chariſſimum Filium CHRISTIANVM beneficum eſſe voluit. Qua de cauſa quotannis quatuor millia florinorum ipſi è Camera numerari iuſſit, vnde ſtipem pauperibus porrigeret. Diſperſit, dedit pauperibus, Iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.

Cognouiſtis hactenus, Auditores omnium ordinum præſtantiſſimi, honoratiſſimiq;, ex hac qualicunque commemoratione, quàm pius, quàm religioſus, quàm beneficus Princeps fuerit AVGVSTVS, ad omnia ſumma, inprimis verum Dei cultum ſtabiliendum natus, non tantum ex religioſiſſimis ſermonibus, pientiſſimis factis ſempiterna memoria dignis; ſed etiam ex illuſtriſſima munificentia, ex propenſo deniq; in Eccleſias & ſcholas animo. Ergo de AVGVSTO quoties cogitabitis, toties de inſigni eius pietate, toties de ſingulari ſapientia, toties de mirabili liberalitate, toties de maximis eius beneficijs cogitabitis.

Tam deuotam verò religionem, tam ſinceram fidei integritatem AVGVSTI, benigniſſimus DEVS longiſſimè remunerauit. Præterquam enim quòd opibus immenſis potentia inſigni, autoritate ſtupenda eum muniuit & corroborauit, pacatam inſuper & tranquillam gubernationem ipſi indulſit. Quamprimum enim initio ex Dania expectaretur, omnia bella ipſius expectatione attenuata atq; imminuta ſunt, aduentu ſublata & ſepulta. Saluum atq; incolumem etiam AVGVSTVM præſtitit DEVS liberauitq; ab omnibus inſidijs improbiſſimorum hominum, qui mortem ipſi ſæpenumero machinati ſunt. At, inquies, fuitne quiſ-

quam tam demens, tamq; extremè improbus, qui ſcilicet AVGVSTO inſidiaretur? vt quo Duce & conſeruatore Eccleſia & Reſpublica florebat, eius vitam non anteponeret ſuæ? Fuerunt fuerunt multi falſi fratres, ſcelerati ſicarij, nefarij latrones, qui vel odiō dementati diabolico, vel pecuniâ corrupti vitæ atque ſaluti AVGVSTI inſidiati ſunt. Sed DEI, qui omnia nouit & contemplatur, cura & protectione paternâ factum eſt, vt tantæ animorum latebræ, tantiq; receſſus omnes palàm fierent, & tam facinoroſi parricidæ ſuo dignum ſcelere ſupplicium luerent. Ita nimirum ſolet Deus ſuos fideles inprimis pios Magiſtratus paternè tueri. Ita AVGVSTVM per omnem vitam defendit in præſentiſſimis etiam vitæ periculis, cumq; in ſenectâ vſq; portauit, donec ſaturum vitæ ætatis anno ſexageſimo, ante annos vndecim die Februarij vndecimo, qui & tum erat dies Veneris ſub crepuſculum veſpertinum ex hominum vſu & conſuetudine placidiſſimè in cœleſtem patriam euocaret, nobisq; luctuoſum pij Patris deſiderium relinqueret. Ab eo tempore multis preſſi calamitatibus ſatis experti ſumus, quàm ſalutarem Principem amiſerimus. De Amphiarao clamabant Græci: Oculum exercitus noſtri deſideramus. Nos rectius clamamus: Oculum Eccleſiæ, oculum harum terrarum amiſimus AVGVSTVM Electorem, patrem patriæ, defenſorem Eccleſiæ, fulmen contra hoſtes, columen Domus Saxonicæ, ſolatium Romani Imperij, Mecœnatem Academiæ noſtræ, veræ pietatis &

Quis conſtituit iudicia, reuocauit fidem, compeſcuit libidines? AVGVSTVS ELECTOR. Quis tot vigilijs, tot tantiſq; laboribus & impenſis doctrinam Pontificiam, & Caluiniſtarum ſomnia repreſſit, labefactauit, exterminauit? AVGVSTVS ELECTOR. Quis ſcholas, quis Academias, quis pauperes omnes magnis beneficijs ornauit, auxit, cumulauit? AVGVSTVS ELECTOR. Quis in agnita veritate doctrinæ cœleſtis ad nos propagatæ ad extremum vſque vitæ Spiritum conſtantiſsime perſeuerauit? AVGVSTVS ELECTOR. Euge, euge AVGVSTE ſerue IESV CHRISTI fideliſsime. In quanta ergo gaudia Domini tui nunc intraſti? In tanta profectò, quæ nec auris audiuit, nec oculus vidit, nec in vllius hominis mentem & cogitationem deſcenderunt. Ad quæ tamen & nos eodem Saluatore, eadē fide freti transferemur ex hac vita tam verè, quàm verè in CHRISTVM credimus. Tunc conſtantiam tuam prædicantes tecum in conſpectu DEI lætabimur, Deoq; bonitatis immenſæ gloriam æternùm accinemus.

Interea Tibi ô æterne, omnipotens DEVS, toto pectore gratias agimus, quod per hoc electum organon miſericordiæ tuæ Principem AVGVSTVM lucem VERBI tui in noſtris ſcholis & Eccleſijs denuò accenſam conſeruare, & longè lateq; radios ſpargere voluiſti: Teq; intimis pectoribus & veris gemitibus oramus & obteſtamur, vt VERBI TVI theſaurum, Lutheranam religionem, qua noſtrarum animarum ſalus continetur, inter nos puram & incorruptam clementer conſerues. Tuere quæſumus ac defende illuſtriſsi-

mum

mum Principem ProElectorem, Illuſtriſsimam pientiſſimamq; Viduam Electoralem, cum celſiſſimis generoſiſſimisq; FILIIS PRINCIPIBVS ac Dominis harum terrarum; Hos Spiritu, autoritate, ſinceritate, ſapientia, conſtantia AVGVSTI aui laudatiſſimi indue atq; confirma, vt & ipſi ſint Eccleſiæ nutritores, LVTHERI propugnatores, & ſalutares populi tui paſtores & Principes. Arce ab alueolis & ceruicibus noſtris immaniſſimos Turcorum acinaces, ne hæreditatem & peculium tuum, quod maximè in votis habent, euertant & exterminent. Deniq; nos omnes in agnita veritate ad finem vſq; vitæ noſtræ conſtanter conſerua; quia Tu ſolus fortis, tu ſolus Dominus & ALTISSIMVS ô æterne miſericors PATER, FILI θεάνθρωπε, & SPIRITVS SANCTE, DEVS vnus in omnem æternitatem benedictus.

DIXI.